DE MORBIS PUERPERII GENERATIM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
I UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA NEC NON
ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
E IV. MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCXLI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS PHILIPPUS REITSCH
NEO - MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
F. MEISSNER, MED. DR.
C. SCHOENLEIN, MED. DRD.
H. KUESTER, MED. CAND.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO,
AMPLISSIMO

F. A. G. BERNDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
RDINIS DE AQUILA RUBRA CLASSIS QUARTAE EQUITI,
OTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDI-
IS INTIMIS, MEDICINAE PRACTICAE, ARTIS OBSTE-
RICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI
EDICI ET OBSTETRICII GRYPHISVALDENSIS NEC NON
CHOLAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI, REGIAE
CADEMIAE MEDICAE, QUAE IN GALLIA FLORET, FA-
ULTATIS MEDICAE PESTHINENSIS, CAESAREAE SOCIE-
ATIS MEDICAE VINDOBONENSIS, DOCTRINARUM CHE-
ICARUM ET PHYSICARUM, AGRICULTURAE ET INDU-
TRIAE FRANCOGALLICAE, MEDICORUM SUECICORUM
OLMIENSIS, MEDICORUM BADENSIUM AD PROMOVEN-
AM MEDICINAM FORENSEM, SOCIETATIS MEDICAE
UGDUNENSIS, DIVIONENSIS, LIPSIENSIS, HAMBUR-
ENSIS ET PETROPOLITANAE, MEDICO-CHIRURGICAE
UFELANDIANAE BEROLINENSIS, PHYSICO-MEDICAE
RLANGENSIS, SOCIETATIS AD PROMOVENDAM ARTEM
EDICAM, QUAE IN BORUSSIA FLORET, OECONOMICAE
ARCHICAE ETC. ETC. SODALI VEL HONORARIO VEL
ORDINARIO, VEL LITERARUM COMMERCIO IUNCTO,
H. A. DEC.

PRAECEPTORI OPTIMO,

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Puerperii morbi iis jure adnumerantur, qui tam diu exſtitere, quam feminae pepererunt, quod ex natura rei, ſimulque veterum ſcriptis elucet. Nec tamen ab *Hippocrate* ad tempora usque noſtra de morborum illorum eſſentia variisque ſpeciebus medici conſenſerunt. Quantae ergo difficultates in elaborando hocce themate in tironem incidere debeant facile patet. Attamen ad conſcribendum opuſculum inaugurale id elegi, quum ſummo favore Ill. *Berndt*, praeceptoris aeſtumatiſſimi, munus medici auxiliarii in clinico noſtro obſtetricio atque medico mihi traditum, eamque ob causam perſaepe hujusmodi morbos accuratius obſervandi optimoque cum ſucceſſu curandi occaſio data eſſet. Nova tamen in lucem edere non poſſum, ſed eligere tantummodo e ſcriptis, quae optima ſunt. Lectoris ergo benevoli in dijudicando hoc libello aequitatem atque humanitatem etiam atque etiam imploro.

Definitio.

Ut morbos puerperii definiam, notionem puerperii constituam necesse videtur. Puerperium enim illud post partum temporis spatium vocatur, in quo partus sequelae removentur atque puerperarum in statum illius simillimum, quem ante conceptionem tenebant, reductio perficitur. Morborum vero non omnes, qui in hacce periodo feminas occupant, puerperales dicuntur, sed hi tantummodo, qui ex ipsis puerperarum vitae conditionibus originem ducunt, vel iis modificantur.

Historia et literatura.

Jam *Hippocrates*[1]) morbos puerperii novit, non solum febrem puerperalem, sed etiam insaniam[2]), qui tamen morbi ab eo, multisque aliis post eum mox inter se, mox cum pleuritide et pneumonia, mox cum phrenitide, mox cum inflammatione aliorum abdominis organorum, mox denique cum febri lactea confundebantur[3]). Postero tempore accuratius distinxerunt medici. Secundum *Astruc*[4]) *Reinerus Solenandrus*[5])

---

1) Hippocrates, de morbis mulierum libr. I. Epidem. libr. 1 et 3.

2) Arm. Müller, de insania puerperali, dissert. inaug. Gryphiae § 3.

3) Schenkius a Grafenberg, observationum medicarum rariarum libri VII. Francof. 1665. libr. IV. pag. 627 sqq.

4) Abhandlung von den Frauenzimmerkrankheiten. Aus dem Franz. Leipzig 1776.

5) Consilia medicinalia. Francof. 1569.

primus febrem lacteam ab aliis morbis puerperii febrilibus sejunxit et post eum *Willis*[6]. *Eduard Strother*[7]) nomen febris puerperalis primus proposuit et cum eo meliorem naturae hujus rei cognitionem conjunxit. De phlemasia alba dolente primus disseruit *Mauriceau*[8]) et cum eo *Böer*[9]). Recentiores autem veram horum morborum naturam, sedem, variasque formas cognoverunt, atque influxuum cosmicarum in illos vim perspexerunt, quam rem scripta a *Naegele*[10]), *Siebold*[11]), *Busch*[12]), *Berndt*[13]), composita tractant. Praeterea digna sunt, quae commemorentur, haec scripta:

v. Swieten, Comment. in H. Boerhave Aphorism. etc. libr. 4. § 1329.

Hulme, Abhandlung von dem Kindbettfieber. Aus dem Engl. Leipzig 1772.

John Leake, Pract. Bemerkungen über verschiedene Krankheiten der Kindbetterinnen. Aus dem Engl. 1775.

---

6) Tractatus de febribus, cap. de puerper. febr. 1659.
7) Burser, institut. med. pract. Tom. II. § 458. Not. 2.
8) Traité des maladies des femmes grosses. 1, 1. c. XX.
9) Abhandlungen u. Versuche. Bd. 1 u. 2.
10) Schilderung des Kindbettfiebers, welches vom Junius 1811 bis April 1812 in der Entbindungs-Anstalt zu Heidelberg geherrscht hat. Heidelb. 1812.
11) Versuch einer Pathologie und Therapie des Kindbettfiebers, nebst einer Darstellung der Epidemie, welche vom Februar bis April 1825 in der Gebär-Anstalt der königlichen Universität zu Berlin geherrscht hat. Francof. a. M. 1825.
12) Betrachtungen über das Kindbettfieber in der gemeinsamen Zeitschrift für Geburtskunde v. Busch, Mende, Ritgen, Bd. 1 und 2.
13) Klin. Mittheilungen, 4s Hft. Von der Puerperalfieber-Epidemie etc. Greifswald 1840.

Th. Denham, Abhandl. von den Fiebern der Kindbetterinnen. Aus dem Engl. Altenburg 1777.

Th. Kirkland, Verſuche über das Kindbettfieber. Aus dem Engl. Gotha 1778.

De la Roche, Unterſuch. über die Natur und Behandl. des Kindbettfiebers, mit Anmerk. v. Selle. Berlin 1785.

Doublet, Neue Unterſuchung des Kindbettfiebers. Aus dem Franz. Jena 1785.

Sachtleben, Kritik der vorzüglichſten Hypotheſen über das Kindbettfieber. Leipzig 1793.

Stoll, Aphorismi etc. Vindob. 1786.

Brefeld, Beiträge zu den Grundzügen der Heilkunde, nebſt einer pract. Abhandl. vom Kindbettfieber. Münſter 1803.

Oſiander, Denkwürdigkeiten. Bd. I.

Selle, Med. Klinik.

P. Frank, Epitome. Tom. 2.

Marcus, Specielle Therapie. 2r Thl.

Vogel, Handbuch der Therapie. 2r Thl.

Joerg, Handb. der Frauenzimmerkranhheiten. Bd. 2.

Carus, Gynaekologie. 2r Thl.

Burn's Midwifery.

v. Froriep, Handbuch der Geburtshülfe.

Hufeland's Journal. Bd. 20, 21, 24 etc.

J. B. van der Zande, Obſervations pratiques ſur la maladie, connue ſons le nom peritonite et de fièvre puerpérale. Anvers 1821.

J. Mackintoſh, an treatiſe on a diſeaſe that attends Women in Childhood. Edinb. 1822. 8.

W. Campbell, a treatiſe on the epidemic puerperal fever. Edinb. and Lond. 1822.

Dr. A. E. Siebold, Journal für Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten.

Derfelbe, Handb. zur Erkenntnifs und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Bd. 2. Abfchn. 3.

Dr. F. A. G. Berndt, Fieberlehre §. 610 bis 650.

Th. Helm, Monographie der Puerperalkrankheiten. Zürich 1839.

Dr. F. A. Kiwifch, Die Krankheiten der Wöchnerinnen. Prag 1840.

Aetiologia.

A. Momentum, quod omnes puerperas ad morbos proclives reddit, potiffimum eft puerperium ipsum. Difpofitio haec, in qua explicanda Ill. *Berndt* [14]) fententiam perfequar, hisce rebus conftituitur: Jam conceptione non folum totum fyftema nervorum exaltatur, fed tenfio quoque gangliorum, potiffimum plexuum hypogaftricorum atque ita organorum fexus irritatio producitur, quae fanguinis majoerm affluxum et circuitum fecum fert, atque confenfum praevalentem inter organa illa aliaque. In graviditate mutationes illae organismi muliebris magis in lucem prodeunt; tenfio illa nervorum vitalis magis magisque exaltatur, gangliorum praecipue fyftema occupat atque variis fymptomatis fefe manifeftat. Exoriuntur non folum eclampfia et fpasmi, algiae, idiofyncrafiae aliaeque coenaefthefeos perturbationes, fed actione gangliorum exaltata organorum quoque abdominalium functiones incitantur; ciborum digeftio melius procedit, chyli major copia paratur atque in vafa chylifera transducitur,

14) Specielle Pathologie und Therapie. Leipzig 1830. Thl. I. § 610 u. ff.

quo ſanguinis copia non ſolum adaugetur, ſed etiam efficitur, ut materia plaſtica abundet. Sed alio quoque modo, poſtremis ſaltem graviditatis menſibus, ſanguis mutari ſolet. Utero enim creſcente diaphragma attollitur, pulmonesque premuntur, quo fieri ſolet, ut respiratio impediatur atque proceſſus oxydationis ſanguinis non tam bene procedat. Oxygenium deminuitur, carbogenium praevalet. Quare plethora, congeſtiones et orgasmus oriuntur. Sed vita etiam organica gravidarum alienata apparet, mentis actiones, quatenus ex organismo pendent, mutatae ac perverſae occurrunt. Inſolitae animi intentiones, affectiones nervoſae, mentis adeo perturbationes inde exiſtunt.

Partus quoque ad augendam hanc diſpoſitionem aliquid confert. Cum ſumma enim virium intentione etiam animi maximam excitationem et perturbationem conjungit, ita ut parturientes graciles potiſſimum et plethoricae facile aegrotent. Peracto vero labore, ejecto infante ſuccorum affluxus in partes antea tenſas et preſſas major fit, peritonaeum praecipue ſanguine impletur, nec minus ligamenta lata atque organa in iis ſita. Inflammatio ita facillime exoritur. Eodem modo illa uteri pars, in qua placenta ſedem habebat, jam vulnerata, aegrotare poteſt. Secundum *Kiwiſch*[15]) aliosque viros illuſtres partus inter momenta diſponentia, ſaepius etiam inter cauſas occaſionales primum locum obtinet.

Poſt partum femina in illum ſtatum, quem

---

15) Neue Zeitſchrift für Geburtskunde etc. 10. Bd. XXII. Seite 390.

ante conceptionem tenebat, redire ſtudet. Lochiis enim, lactis ſecrètione atque adaucto ſudore non ſolum materiae ſanguinis plaſticae excerni atque plethora tolli, ſed etiam tenſionis nervoſae, inprimis organorum ſexus exaequatio perfici debet. Puerperarum ergo ad morbos diſpoſitio haecce momenta complectitur:

1) alienationem et exaltationem functionis ſyſtematis nervoſi, quae ganglia et plexus hypogaſtricos potiſſimum occupat, atque conſenſum praevalentem organorum ſexus aliorumque.

2) Commutatam ſanguinis qualitatem et quantitatem.

3) Organorum abdominalium, uteri inprimis et peritonaei ſtatum irritationis, et graviditate et partu provocatum.

4) Commutatam eorum organorum rationem, quae functione ſua puerperali, i. e. ſecretione lochiorum, lactis atque ſudoris illum ſtatum normalem, qua ante conceptionem feminae fruebantur, reducere ſtudent. In hisce tantummodo organis ſecundum *Helm*[16]) verus puerperii morbus exoriri poteſt.

B. Praeter diſpoſitionem illam omnium puerperarum communem, alia momenta diſponentia commemoranda ſunt, quibus *Carus*[17]) adnumerat omnia, quae corporis irritabilitatem adaugent, quae obnoxias reddunt puerperas perturbationi revolutionis organicae naturae congruentis, e. g. vitia organorum pectoris et abdominis irritationes tractus alimentarii etc.; aut

---

16) l. c. § 2.
17) l. c. II. Seite 508.

genitalium laesiones, lactatio omissa, in universum omnia, quibus corporis productivitas adaugeri, inflammationumque occasio dari possit. *Jörg*[18]) omnia huc refert, quae organismi functiones sexuales aut pathologico aut physiologico modo minuere aut a mammis detrahere possunt. Permagnam in producendis puerperii morbis praecipue inflammatoriis aëris constitutio vim exercet, quod observationibus a *Naegele*[19]), *Siebold*[20]), *Busch*[21]), *Berndt*[22]) aliisque publicatis probatur. *Kiwisch*[23]) febres puerperales solummodo epidemicas statuit. Inconstantia aëris, praecipue aëris humidi in siccum frigus transitus, ansam praebet. Sunt, qui frigus omnino et ad praeparandos et ad nascendos et ad alendos puerperii morbos plurimum conferre asseverent, quapropter in regione ad septentrionem sita et hieme crebrius observentur. Ex his morbis contagium quoque nascitur, quod tamen usque adhuc nonnisi in clinicis obstetriciis deprensum est. *Kiwisch*[24]) contagium hoc negat; alii vero viri celeberrimi, quorum postea mentionem faciam, huic rei nullam dubitationem reliquere. Morborum genium etiam in hos morbos influere, iisque peculiare quid immiscere manifestum est. Huc praeprimis referenda est constitutio stationaria gastrica, erysipelacea, rheumatica, ceteraeque. Nec mi-

---

18) l. c. § 743.
19) l. c.
20) Versuch einer pathol. therapeut. Darstellung etc.
21) Betrachtungen über das Kindbettfieber etc.
22) Klin. Mittheil. etc.
23) Neue Zeitschr. für Geburtsk. 10r Bd. XXII. S. 390.
24) Eodem loco.

norem vim habent constitutio aegrotae et temperamentum; et probatum est, feminas adprime plethora venosa nimiaque systematis nervosi irritabilitate instructas facillime in eos incidere.

C. Causa occasionalis praeprimis refrigerium accusandum est, utpote ad functiones puerperio peculiares perturbandas quam maxime aptum; deinde animi pathemata, vitiosa diaeta. Praeterea tales res in censum veniunt, unde uterus ipse detrimentum capit, laesiones mechanicae, contusiones, nimis in partu labor, placentaque in utero relicta. Insuper digna sunt, quae commemorentur remedia drastica, cibi potusque calefacientes, dolores post partum vehementes, contractiones uteri incompletae [25]), partus praematuri, quatenus non ex dispositione exorti sunt, omissa infantis lactatio [26]). Item eae, quae inter partum ab eclampsia corripiebantur, quaeve geminos enixae sunt, in puerperio facilius in morbum incidere dicuntur. Idem haemorrhagiis efficitur, sed hinc morbi septici saepissime exordium ducunt.

Differentiarum conspectus.

Quod ad essentiam attinet, morbi puerperales sunt inflammationes, febres et neuroses. De inflammationibus postea luculentius loquar, jam breviter febres et neuroses tractabo.

A. Plerumque medici febris puerperalis nomine formas morborum puerperii inflamma-

---

25) Carus, Gynäcolog. II. § 1626.
26) Helm, Monographie etc. § 12.

torias complexi ſunt. Francogalli hanc denominationem vituperant et in hoc quoque libello aut febres ſine affectione locali ex diſpoſitione puerperarum propria ortas, aut exanthematicas quasdam puerperales hac notione comprehendimus. Sic *Berndt*[27])

1) febrem puerp. inflammatoriam ſine affectione locali novit, cujus eſſentiam in adaucta diatheſi ſanguinis phlogiſtica nervorumque erethiſmo ponit. Neque qui febrem idiopathicam ſtatuit, talemque in puerperis ſanguinis conditionem obſervavit, quin haec febris exiſtat dubitabit. Sed raro occurrit. *Helm*[28]) haecce opponit: „Saepius in puerperis morbi febriles occurrunt, quorum ſedes vel in decurſu morbi, vel omnino non detegitur. Si vero talis caſus letalis eſt, priusquam ſedes morbi cognita, ſectione ſemper ſexus organa correpta reperiuntur.“ Hoc vero rei non reſpondet, quum affectiones locales tam occultae, ut detegi nequeant, nullo modo febrem tam activam et vehementem provocare poſſint, qualem illa ſeſe praebet.

2) Aliam febrem pnerperalem ſine affectione locali *Berndt*[29]) nervoſam primariam nominat. Quae tamen non illum ſtatum complectitur, qui inflammationes ſequitur, atque exſudationibus, pure vel fluido puriformi ſanguini commixto, aut metaſtaſi in cerebrum provocatur (febris nervoſa puerp. ſecundaria), ſed potius graviſſimam nervorum aegrotationem,

---

27) Klin. Mittheil. 4s Hft. Seite 264.
28) l. c. § 4. Seite 9.
29) Klin. Mittheil. etc. Seite 265 und 66.

cujus caufa nondum fatis cognita eft. Num gangliorum inflammatio accufanda fit, in dubio relinquendum atque effentiae morbi perfcrutatio pofteris permittenda.

3) Miliaria fic dicta puerperalis nunc paene ab omnibus fymptoma puris in fanguinem recepti poft phlebitidem et peritonaeitidem puerperalem habetur. Alii illud fymptoma periculofum, alii negligendum, alii criticum habent. Attamen vera quoque miliaria in decurfu morborum puerperalium obvenit. Secundum *Helm*[30]) fomentis puerperarum corporibus, quo loco placet, calidis impofitis, miliaria haec provocari poteft.

4) Quod ad fcarlatinam feu purpuram puerpuralem attinet, haec raro occurrit atque ex inflammatione uteri feptica fortaffe oritur[31]); a plerisque pro vera contagio in puerperas translata habetur. *Helm*[32]) purpuram puerperalem verum puerperii morbum nominat, quam fententiam hisce argumentis confirmat:

1. Purpura puerperalis neque oritur ex contagio, neque contagium gignit,

2. Semper primis poft partum diebus in lucem prodit,

3. Saepe fine omni tunicarum mucofarum affectione confpicitur,

4. Nullum eruptionis ordinem, neque quod attinet ad febrem, neque quod ad exanthema, obfervat,

---

30) l. c. § 76. Seite 132.
31) Berndt in praelectionibus.
32) l. c. § 51.

5. Saepius in nonnullis tantummodo corporis partibus exoritur,

6. In decurſu ſaepius evaneſcit et denuo erumpit,

7. Non eodem tempore, quo vera ſcarlatina, obſervatur, ſed per ſe rarius vel ſaepius occurrit.

Quae argumenta, ſi accuratius perſpecta, experientiaque comprobata ſunt, purpuram puerperalem a vera ſane diſtinguunt.

B. Neuroſes puerperales ex ſyſtematis nervoſi in puerperio alienatione et exaltatione, organorumque ſexus erethismo procedunt. Saepiſſime etiam morbi ſymptomatici ex inflammatione praecedente ejusque ſequelis habendi ſunt.

1) Mania puerperalis ex organorum ſexus eorumque adaucto cum cerebro conſenſu originem ducit, et cum ſumma ſexus libidine ipſa adeo nymphomania in conſpectum venit. Haec longe alius eſt morbus, quam furor ille ſine ſexus libidine, qui puris metaſtaſes in cerebrum ſequitur, illarumque ſolummodo ſymptoma habendus eſt. *Helm*[33]) maniam puerperalem ex vaſis cerebri pure impletis oriri dicit, purisque in ſanguinem effectum cum delirio potatorum poſt toxicationem ex ſpirituoſis comparat; neque vero haec mania puerp. vera, ſed furor ille ſymptomaticus habendus eſt. Quod ſi talem morbi cauſam ſtatuimus, qua ratione Camphorae[34]) in illum effectum ſpecificum explicemus, quem tam multi viri prae-

---

33) l. c. § 28. S. 54.

34) Berndt, über mania puerp. in Hufeland's Journal für die pract. Heilk. Jahrg. 1828, November-Stck.

clarissimi, ut *Pfeufer*, *Clarus*, *Carus*, *Marcus*, *d'Outrepont*, *Kilian* aliique probarunt?

2) Aliae affectiones nervosae sunt eclampsia et spasmi, algiae nonnullae e. g. quae ischiadis imaginem induunt, et paralyses.

C. Inflammationes puerperales, quas omnes medici plerumque sub notione febris puerperalis complecti solent, sunt inflammationes organorum sexus eorumque quae cum illis anatomice aut consensualiter cohaerent. *Kiwisch* [35]) haecce omnium illarum communia proponit:

1) originem miasmaticam tantummodo statuit,

2) uterum solum primarie affectum,

3) easque tantummodo telas consecutive inflammatas putat, quae anatomice cum telis uteri primarie correptis congruant. Sic in peritonaeitide pleuritidem, in metritide mucosa enteritidem mucosam etc. secundarias tantummodo statuit.

4) Denique peculiare aliquid hisce inflammationibus puerperio imprimi jure contendit.

Addit iste, febrem puerperalem ex dyscrasia quadam sanguinis proficisci, per miasma puerperale procreatam, propterea, quod in variis clinici obstetricii Pragensis epidemiis permulti infantes nascantur pneumonitide aut incipiente aut conformata affecti, quorum plerique primis jam diebus post partum mortem obeant, sectionem autem tum horum, tum aliorum infantum in partu vel paulo post defunctorum

---

35) Neue Zeitschrift für Geburtsk. v. Busch etc. 10r Bd. 3s Hft. XXII. Seite 387.

ſpiſſitudinem ſanguinis pici liquidae ſimilem, crebroque exſudationem pleurae peritonaeive purulentam demonſtrare, eorumqne matrum magnam partem ſaepiſſime in febris puerperalis formas perniciofas incidere. Hinc conjecturam facit, horum morborum proceſſum in graviditate jam praeparatum eſſe, atque, quia mater cum foetu per ſanguinem potiſſimum conjuncta ſit, hinc manifeſtiſſimum fieri, ſanguinis craſin a norma deflectere. Hanc ejus dyscraſiam aut phlogiſticam eſſe, aut ſepticam ſtatuit.

Talem ſanguinis conditionem revera inveniri, etiam exſudationes ex eo in peritonaeitide et phlebitide ſatis demonſtrant, quae veneni inſtar in corpus humanum receptae, agunt. Plura hujus rei exempla ſunt [36]).

Inflammationum puerperalium hae formae diſtinguuntur:

1) Peritonitis puerperalis eſt inflammatio aut totius peritonaei, aut obtegumenti uteri ſeroſi (metroperitonitis), aut ligamentorum uteri atque organorum in iis ſitorum (Oophoritis etc.). Exoritur ſecundo vel tertio usque ad quintum et ſextum poſt partum diem, imo ſi chronice decurrit, ſerius initium capit. Permagna corporis moleſtia et laſſitudo, defectus appetitus et horripilationes initium morbi faciunt. Jam ardor cutis, ſitis permagna, pulſuum frequentia et durities, obtuſitas capitis ſtadium inflammationis indicant. Somnus inquietus, excre-

---

36) Berndt, klin. Mittheil. 4s Heft. Seite 267 und Deſſelben Lehre von den Entzünd. § 150 u. ff.

tiones alvi irregulares, urina rubra conſpiciuntur. Tunc dolor animadvertitur abdominis, qui aut totum abdomen, aut regionem uteri occupat, atque non ſolum manu premente, ſed etiam aegrotae motibus, tuſſi, ſternutatione etc. adaugetur. Initio interdum vagus eſt et rapidus, pungens et ſecans, mox vero certum locum occupat, et abdomen tenſum apparet. Lochia ſaepius profluunt, atque lactis ſecretio procedit, ſaepius ceſſant. Poſt tres vel quatuor dies, vel etiam ſerius, niſi forte inflammationis dijudicatio peracta ſit, ſeu gangraena mortem adduxerit, exſudationis ſtadium ſubſequi aſſolet. Id horripilationibus vel magno frigore proditur, ingenti deinceps abdominis tympanitide, dolorum remiſſione, febri aſthenica. Quum exſudationes permagnae ſunt, paucis diebus aeger mortem ſubit, quum minores ſunt reſorberi poſſunt, nec niſi inteſtinorum concretioni ac degenerationi opportunitatem praebent. Sequitur denique ſtadium reconvaleſcentiae, quod alio modo ſe habet, quatenus inflammationis ſtadio, alio modo quatenus exſudationis ſuccedit.

Quodſi illud accidit, febris et dolor minuuntur, lochia atque lac denuo profluunt, ſomnus quietus apparet, urina et alvus criticae conſpicuuntur; ſi hoc accidit, ſanatio per lyſin procedit, morbique ſecundarii remanent.

2) Metritis puerperalis,

a) mucoſa, Metrhymenitis, Metrophlegmhymenitis.

Puerpera ſecundo plerumque die poſt partum levi febri corripitur atque aut omni dolore vacat, aut obtuſo, uteri regione infixo, vexa-

tur. Lochia foetida, aut deminuuntur, aut plane cessant; eodem modo lactatio se habet.

Uteri intumescentia sentitur, nec solum de calore in utero aegrotae conqueruntur, verum is etiam interna exploratione percipitur. Qua una orificium uteri tumefactum ac fervidum, vagina autem sicca invenitur. Raro evenit, ut sub doloribus vehementissimis ac febricitationibus ingentes lymphae plasticae moles tunica mucosa inflammata progignat, quas ejectas plerumque bona valetudo subsequitur [37]. Dissolutio morbi cum dolorum ac febris remissione intrare solet, tum etiam lochia et lac denuo secernuntur. Si morbus vero procedit, substantia uteri corripitur atque phlebitis, abscessus, gangraena, emollitiones substantiae exoriuntur. Imo per orificium uteri in vaginam, per tubas in peritonaeum prorepit. Inter morbos secundarios inflammationes tunicae mucosae bronchiorum atque tractus alimentarii commemorandae sunt.

b) Phlebitis et Lymphangioitis uterina.

Signa hujus morbi principalia haecce sunt: Puerperae primis post partum diebus levi febri cum horripilationibus vexantur, tunc aut subito obtusus uteri dolor conspicitur, aut exploratione externa, aut omnino non animadvertitur. Lochia ac lac saepissime bene profluunt, neque urina, neque aliae excretiones, quod a norma abhorreat, demonstrant. Sic morbus lente prorepit, attamen aegrotae collabuntur atque febris pulsuum frequentia, mollitie et

---

37) Helm l. c. Seite 74.

parvitate excellit. Imago morbi ad aſtheniam vergit et poſt ſex vel octo dies frigoris impetus cum ſubſequenti calore intrat, mox complures prodeunt, ſigna reactionis puris in ſanguinem recepti. Iam de Angioitide uterina nullum dubium exiſtit. Saepiſſime typum quendam hoc frigus ſimulat, in eoque metaſtaſes perficiuntur [38]). Si malum talem gradum attingit, ex habitu faciei et corporis, e pulſuum frequentia et mollitie, cutis ardore, deliriis etc. typhoſum morbum cognoſcimus. Pus in urina, alvo, imo ſub cute [39]) in lucem prodit. Organa, quae metaſtatice corripiuntur, ſunt [40]) tela celluloſa, uterus, ovaria, pulmones, pleura, pericardium, lien, hepar, renes, ſubſtantia cordis et encardium, ſubſtantia atque tunicae cerebri, oculus, muſculi, ſynchondroſes, tunicae tractus alimentarii, articuli, parotis, tonſillae et velum palatinum. Quomodo vero pus ad illa organa perveniat, de hac re diſſentiunt medici. Multi illud reſorberi atque per venas in organorum illorum parenchyma deponi credunt, quod *Kiwiſch* negat. Hic [41]) enim venarum capillarium inflammationem hujus rei cauſam habet. Ex phlebitide, inquit, uterina inflammatio in tunica venarum mucoſa ad organa illa producitur; hanc vero inflammationem non ſemper ex utero ad metaſtaſin usque inveniri, ex ea re facile apertum ſit, quod phlebitidis eſt, ſingulis venae partibus magis eluceſcere atque exſudationes procreare.

---

38) Helm l. c. § 24.
39) Berndt, klin. Mittheil. etc. Seite 266.
40) Neue Zeitſchrift für Geburtsk. etc. XXII. S. 397.
41) Neue Zeitſchrift für Geburtsk. S. 395.

3) Phlegmafia alba dolens, oedema lacteum, oedema puerperarum etc. intumefcentia praecipue femoris pallida, nitens, tenfa atque dolorifica eft, cujus temperatura normam transgreditur. Non circumfcripta confpicitur, fed in tota extremitate extenfa, puerperas plerumque, rarius gravidas, virginesque, atque etiam viros aggreditur. *Mauriceau*[42]) et *Boër*[43]) primi hujus morbi mentionem fecerunt.

White[44]) aliique vaforum lymphaticorum obftructionem, vel potius eorum contufionem et rhexin hujus morbi caufam proximam habent, *Casper*[45]) et *Carus*[46]) vaforum lymphaticorum interdum etiam telae cellulofae inflammationem, *Davis*[47]) venarum pelvis eique propinquarum inflammationem, ex eaque puris productionem, venarumque obliterationem, *Hull*[48]) ftatum inflammationis fimilem, quo repente magnae feri lymphaeque plafticae copiae effufio e vafis exhalantibus in telam partis correptae cellulofam provocetur, accufant. Nonnulli nervos femoris primum correptos, atque telae cellulofae intumefcentiam hujus fequelam habent. *Siebold*[49]) cum iis confentit, qui fluidorum lymphaticorum in vafis partis correptae

42) Traité des maladies des femmes groffes I. 1. c. XX.
43) l. c. Thl. I. p. 119.
44) Unterfuchung der Gefchwulft bei Kindbetterinnen etc. Aus dem Engl. von Seiler. Wien 1802.
45) Comment. de phlegmafia alb. dol. Hal. 1819.
46) l. c. II. § 1600 u. ff.
47) Ueber die nächfte Urfache der Phlegmafia etc. Ueberf. in den Sammlungen auserlef. Abhandl. z. Gebrauch pract. Aerzte. Bd. III. Stück 4. No. 5.
48) In phyfic. med. Journ. etc. Bd. III. 1802.
49) l. c. § 413.

lymphaticis accumulationem hujus morbi cauſam proximam habent, qua ad inflammationem propenſitas efficiatur. Inflammationem vero exortam ſtatim nervos ſacrales, praecipue nervum cruralem et iſchiadicum, faſciam latam et neurilema corripere. *Helm*[50]) phlegmaſiam albam dolentem telae celluloſae inflammationem poſt metrophlebitidem cum exſudatione purulenta ſeu ichoroſa, poſt metroperitonitidem cum infiltratione ſeroſa, metaſtaticam habet. *Kiwiſch*[51]) phlegmaſiam oedema acutum ex inflammatione vaſorum lymphaticorum capillarium, lymphangitidis uterinae ſequelam habet. *Berndt*[52]) hanc ſententiam refert: Saepiſſime ex phlebitide crurali, aut phlebitidis uterinae ſequela, aut primaria, phlegmaſia alba exoritur. In his duobus caſibus phlebitis in telam celluloſam transgreditur, ſaepiusque in vaſa lymphatica. Crebro autem phlegmaſia nil niſi inflammatio telae celluloſae metaſtatica ſine phlebitide habenda eſt. Quare tres hujus morbi ſpecies diſtingui debent: forma mere inflammatoria, oedematoſa ex phlebitide chronica, metaſtatica.

Quoties in clinico noſtro, duce Ill. *Berndt*, hunc morbum vidi, toties cum inflammatione chronica, dolore digitis regionem hypogaſtricam comprimentibus modico, ſub veſperam calore et horripilationibus, omnino febri lenta ſeſe manifeſtante, conjunctus erat. Semper in ſecunda vel tertia poſt partum hebdomade il-

50) l. c. § 84.
51) l. c. S. 397.
52) Klin. Mittheil. Heft 4. Seite 278 u. ff.

lum vidi, idque mihi, ſi veram vidi phlegmaſiam albam dolentem, quam maxime dubitandum videtur, hanc uti *Helm*[53]) affirmat, meram telae celluloſae metaſtaticam eſſe inflammationem. Simulque mihi elucere videtur, etiam ſigna phlebitidis cruralis atque lymphangitidis cruralis cum phlegmaſia adeſſe poſſe, ſi Metroperitonitis (non Metrophlebitis) ſimul exiſtit, aut etiam mox poſtquam illa evanuit. Sane morbus eſt puerperalis et quidem inflammatorius, interdum metaſtaticus.

4) Kolpitis et Perinaeitis puerperalis eodem tempore quo alii morbi puerperales cum febre vehementique dolore, ſed rarius occurrunt. Interdum curationem non poſtulant, interdum vero ulcera et ſphacelus partes propinquas devaſtant, atque oſſa denudant. Saniei reſorptione phlebitis et peritonitis exoriri poſſunt. Concretiones orificii uteri atque vaginae, fiſtulae urinariae aliaeque ſequelae remanent. Imo mortem adducere poſſunt.

5) Pleuritis, Pericarditis et Meningitis puerperalis aut ſimul cum Peritonitide, aut poſt eam aliasque inflammationes puerperales exoriuntur. Signa earumque decurſus ſatis cuique ſunt nota.

6) Maſtitis puerperalis.

Hae omnes inflammationes puerperales ſecundum eſſentiam ſuam differunt. Sic *Berndt*[54]) hasce formas diſtinguit:

a) Inflammationem puerp. phlegmo-

---

53) l. c. § 84.
54) Klin. Mittheil. etc. Seite 270 u. ff.

nofam, hyperfthenicam, mere inflammatoriam, quae plerumque fporadice, raro epidemice obfervatur, iisque temporibus potiffimum occurrit, fi morbi mere inflammatorii fine ulla combinatione crebrius obveniunt. Haec morbi forma benignior maxime Peritonitis eft, non tam rapide decurrit, exfudationes minimas tantummodo gignit atque faepiffime fanatur. Creberrime parvum locum occupat, telam cellulofam corripit et in abfceffum excedit, qui in regione inguinali fefe aperit, fi ligamenta uteri fimul inflammata funt.

b) Inflammationem rheumaticam, quam illo tempore obfervare potes, fi rheumatifmi, omninoque morbi rheumatici praevalent. Vigente conftitutione rheumatica epidemice occurrit, figna praebet rheumatifmi peculiaria et fubito puerperas corripit. Dolores per totum corpus trahentes et rapidi abdomen tandem occupant. Crebro non folum peritonaeum afficitur, fed etiam pleura et fafciae nervorum, ad exfudationes non inclinat. Doloribus rapidis, quam maximis, primum vagis, haec forma magis erethica facile cognofcitur. Quamquam majoris momenti eft, tamen modica venaefectione, Hydrargyro mur. mite, veficantibus bene fanatur. Si vero haec forma lente decurrit quam maximis exfudationibus periculum affert et aliquot poft partum hebdomadibus puerperas aggreditur.

c) Aliter fefe res habet, fi diathefis eryfipelacea in morbos influxum exhibet; tunc enim inflammationes puerperales diathefi eryfipelacea modificatas, et combinatas faepe cum rheumatica affectione obfervamus. Hic vero

morbus rarius peritonaeum, potiſſimum venas uteri et tunicam vaginae et uteri mucoſam corripit. Experientia enim ſaepiſſime probatum eſt, phlebitidem crebro obſervari, ſi morbi eryſipelacei praevalent, ſatisque conſtat, eryſipelas partibus praeprimis accedere inſultatis, vulneratis, inflammatis, quare puerperae phlebitide, inflammatione tunicae mucoſae uteri atque vaginae eryſipelatoſa tunc temporis potiſſimum invaduntur. Inflammatio vero peritonaei eryſipelacea hinc plerumque exoritur, quod eryſipelas ex cavitate uteri per tubas in peritonaeum prorepit. Haec inflammationis forma, ſi tunicas mucoſas occupat in ſphacelum, ſi peritonaeum, in exſudationes uberrimas lubenter excedit. Exordium morbi minus activum, ita ut ſymptomata inflammationis ab initio vix animadvertantur. Plerumque morbus decurſum ſuum certum facit, neque ſymptomata bilioſa deficiunt. Secundum *Berndt* jam *Pouteau* et *Abercrombie* hujusmodi formas obſervarunt, etiam *Lee*[55]) inter febrem puerperalem et eryſipelas connexum agnoſcit.

d) Alia forma eſt metritis ſeptica, putreſcentia uteri, quae in puerperarum conſtitutione cachectica atque putrida ſanguinis qualitate fundata eſt. Etiam putreſcentibus placentae reſiduis provocatur haec forma, quae in tunica mucoſa uteri incipit, ex eaque in ſubſtantiam tranſire ſolet. Diſtingui debet ab in-

55) R. Lee, Unterſuch. über das Weſen und die Behandlung einiger der wichtigſten Krankheiten der Wöchnerinnen. Aus dem Engl. von Schneemann. Hannover 1834.

flammatione eryſipelacea, quae etiam ad ſepſin vergit. Metritis ſeptica ab initio ſtatim inflammatio aſthenica, eryſipelacea ſthenica eſt.

e) Forma inflammatoria ſpecifica, contagioſa, typhoſa omnes morbos puerperii inflammatorios complectitur, qui contagio puerperarum tantummodo genuino evolvuntur. Nonnulli quidem ſcriptores hujus contagii exiſtentiam oppugnant, recentiores vero ut *Boër* [56]), *Naegele* [57]), *d'Outrepont* [58]), *Siebold* [59]) etc. omnem de hac re dubitationem ſuſtulere. Gignitur enim ſolummodo in clinicis obſtetriciis, quum complures puerperae in loco anguſtiore retinentur, earumque excretiones cubilis atmoſphaeram inficiunt. Hae enim materiae eo magis ad diſſolutionem tendunt, quo inſignior puerperarum aſthenia, quo maligniori laborant febre puerperali. Immundities et cubilis atmoſphaera ſupra normam transgreſſa contagii evolutioni favet, quod quidem in puerperas ſolum vim ſuam exhibet.

Decurſus hujus formae celerrimus eſt, ſubito orta, mox acmen attingit et ſummam virium debilitatem ſecum fert. Magna ad exſudationes et ſphacelum proclivitate, ſanguinis diſſolutione, functionisque ſyſtematis nervoſi ſumma proſtratione excellit. Stupor mentis, ipſaque typhomania imminentem mortem indicant.

---

56) l. c.
57) l. c.
58) Geburtshülfliche Beiträge.
59) Verſuch einer pathol. therapeut. Darſtellung etc.

Prognosis.

Inflammationes puerperales plerumque majus periculum afferunt, quam febres et neuroſes, quamquam varia momenta in illas influere, earumque dignitatem adaugere vel minuere poſſunt. Sic prognoſis ſtatuenda eſt ſecundum characterem, quum hyperſthenicae inflammationes meliorem curationis eventum promittant, quam aſtenicae. Etiam cauſae vim ſuam exercent. Sporadicae inflammationes minoris ſunt momenti, endemicae et epidemicae majoris, ſi characterem aſthenicum induunt, maximi. Ante omnes contagioſae infauſtum eventum promittunt. Deinde ſedes reſpicienda eſt. Peritonitis exſudatione, Phlebitis puris procreatione, ejusque in ſanguinem circulatione periculoſiſſimae fiunt. Metritis mucoſa, Kolpitis et Perinaeitis benigniores ſeſe praebent. Phlegmaſia alba interdum quidem ſanatur, ſed tardum ſemper exhibet decurſum, raro autem reſolutio perfecta ſuccedit. Pleuritis, Pericarditis et Meningitis magnum afferunt periculum. Porro ſtadium inflammationis ejusqne in propinqua organa propagatio, aut cum aliis morbis compoſitio et combinatio in decurſum et curationem influxum exhibent, nec minus conſtitutio, temperamentum, aetas, res externae aliaeque. Inflammationes mitioris gradus facile et paucis diebus ſanantur, majoris quam difficillime, et longum tempus perdurant, morbisque ſecundariis mortem adhuc afferre poſſunt.

Febrium puerperalium nervoſa et primaria et ſecundaria maximum afferunt periculum; inflammatoriam ſine affectione locali *Berndt* bis

ſanavit. Miliaria puerp. maxime ſignum puris in ſanguinem recepti interdum criticum, interdum nullius momenti, interdum vero periculoſum videtur. Purpuram puerp. *Helm* benigniorem aliis morbis puerperii judicat.

Inter neuroſes Mania et Eclampſia maximam habent dignitatem, ceteri ſpaſmi, algiae et paralyſes aegrotas vexant magis, quam vitam earum in diſcrimen vocant.

Curatio.

Inflammationes puerperales. Cauſae earum vitandae et removendae ſunt, prae ceteris functionum puerperalium alienationis ratio habenda eſt. Lochia ſuppreſſa eliciantur, lactis ſecretio minuta incitetur, functioque cutis in integrum reſtituatur neceſſe eſt. Reſidua placentae removenda, ſyſtematis digeſtionis perturbationes tollendae ſunt, etc. etc. Contra inflammationem ipſam ſanguinis miſſiones et univerſales et locales primum locum tenent. E remediis internis Calomel plurimum valet, cujus effectum infricando unguento mercuriali adjuvamus. Morbum mitiorem remediis ſalinis debellamus, Nitro, Kali ſulphurico etc. Nervorum erethiſmum fomentis narcoticis, uſu interno Hyoscyami, aquae lauroceraſi, opii minuimus. Praeterea in uſum vocantur remedia externa derivantia, Sinapiſmi, Veſicantia etc. Ubi ad exſudationem pervenit, ſanguinis miſſiones indicatae non negligendae ſunt. Si morbus in ſtatum aſthenicum pervertitur, remedia quae vires ſuſtentent, adhibenda ſunt, Moſchus, Camphora c. Kalomel. et Opio, Valeriana, Praeparata Ammonii, balneae tepidae aromaticae, fomenta et lotiones

irritantes abdomini applicatae. Oleum Terebinthinae interne adhibitum non ſolum huic indicationi ſufficit, verum etiam in alteram, quae exſudationem removeri poſcit, redundat. Remedia draſtica, diuretica imo diaphoretica in cenſum veniunt.

Quod tertio loco in his morbis ſanandis reſpiciendum eſt, complicationes ſunt nec non ſymptomata urgentia.

Sequelae horum morborum, imprimis inflammationes metaſtaticae curationem naturae conſentaneam poſtulant.

Quae curatio ſpeciali caſu accommodanda eſt. Nonnullae formae propriam curationem poſtulant; ſic ſeptica et contagioſa.

Febres. Febris inflammatoria ſine aff. loc. ſanguinis miſſiones, Calomel et remedia refrigerantia poſtulat, febris nervoſa ſine aff. loc. methodum exaequantem, nervina. Purpura puerp. ſecundum *Helm*[60]) methodo antiphlogiſtica ſanatur, adjuvantibus acidis mineralibus.

Neuroſes. Maniam puerperalem ex organorum ſexus maximo erethiſmo prodeuntem *Berndt* Camphora et injectionibus narcoticis ſanavit, ſin vero ex encephalitide metaſtatica prodit, hanc cura ſpectat. In curanda eclampſia cauſae indagandae et removendae ſunt, deinceps eclampſiae ipſi medendum. Eodem modo aliae quoque ſyſtematis nervoſi affectiones curantur.

---

60) Helm, Monographie u. ſ. w. § 54.

V I T A.

Carolus Philippus Reitſch, natus Drieſenae, Neo-
narchiae oppido, eccleſiae evangelicae addictus ſum.
'atrem, ſecretarium in judicio provinciali publicum,
norte jam diu mihi ereptum lugeo. Mater mea *Char-
otta*, e gente *Waſsmansdorf*, inter vivos adhuc verſatur.
'rimis literarum elementis domi inſtructus, ſcholis pu-
licis, Luccaviae Luſatorum, Directore *M. Lehmanno*
unc jam defuncto florentibus, interfui, atque examine
ro maturitate rite ſuperato, univerſitatem literarum
Ialenſem petii, ubi a Prorectore magnifico Ill. *Pernice*
n civium academicorum numerum receptus, apud jure
onſultos nomen profeſſus ſum. Proximo anno Berolini
isdem ſtudiis operam navavi, attamen rebus multis ad-
erſis ea negligere nomenque militiae profiteri coactus
ım. Poſt triennium tandem evenit, ut in ſtudia me-
ica in univerſitate hac Gryphica incumbere poſſem.
. Rectore magnifico Ill. *Niemeyer* inter cives academi-
os receptus, apud medicorum ordinis t. t. Decanum
ıaxime ſpectabilem Ill. *Schultze* nomen profeſſus ſum.
Iisce praelectionibus interfui:

Logicen, Pſychologiam, Metaphyſicen me docuit Ill. *Stiedenroth*,

Phyſicam experimentalem Ill. *Tillberg*,

Mineralogiam, Chemiam theoretico - practicam Ill. *Hünefeld*,

Botanicen generalem, Excurſiones botanicas, Demonſtrationes corporum naturalium in muſeo zoologico, Hiſtoriam naturalem, Zoologiam, Botanicen pharmaceuticam Ill *Hornſchuch*,

Oſteologiam et Syndesmologiam, Anatomiam corporis humani, Artem cadavera rite disſecandi, Phyſiologiam, Anatomiam pathologicam Ill. *Schultze*,

Angiologiam Neurologiam, Anatomiam ſenſuum organorum Cel. *Laurer*,

Pathologiam generalem, Semioticen, Artem faſcias rite adligandi et Formulas medicas concinnandi, Materiam medicam, Medicinam forenſem Ill. *Seifert*,

Chirurgiam univerſalem et ſpecialem, Doctrinam de oſſium fracturis et luxationibus, Akiurgiam, Ophthalmiatricen Cel. *Kneip*. *Idem* me Operationibus chirurgicis in cadavere inſtitutis inſtruxit.

Therapiam generalem, Pathologiam et Therapiam ſpecialem, Artem obſtetriciam, Morbos pſychicos et infantum Ill. *Berndt.*

In Clinico medico et obſtetricio, nec non in Converſatorio ore latino habito dux mihi fuit Ill. *Berndt*, in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico Cel. *Kneip.*

Quibus omnibus Viris quam maxime de me meritis gratias palam maximas refero, prae omnibus Ill. *Berndt*, cujus ſummo favore medici auxiliarii in Clinico obſtetricio et medico munus traditum accepi.

T H E S E S.

I.

Perforatio placentae praeviae ad versionem perficiendam rejicienda.

II.

Blasii amputandi methodus aliis non praestantior.

III.

Defectus menstruorum non semper morbi phaenomenon.

IV.

Punctio vesicae ultimum atque tutum in ischuria refugium.